

Franckesche Stiftungen zu Halle

Io. Anast. Freylinghsii, Pastoris Vlriciani Et Gymnasii Scholarchae, Fvndamenta Theologiae Christianae, In Doctrinis Fidei Ex Verbo Dei Perspicve ...

Freylinghausen, Johann Anastasius

Halis Magdeb., MDCCLXXV.

VD18 13062689

Articulus Vicesimus De Ecclesia.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-206191

vid. §. VIII. (5) Quod precibus etiam et supplicationibus omnium electorum, sanctorum amatorumque Dei fruantur, Matth. VI, 9. (6) Quod non solum in quouis certamine et tentatione fidei prece vincere possint, sed per eandem etiam ex plenitudine Iesu Christi aliam atque aliam gratiam et virtutem participant, vid. supra §. VII. (7) Quod futurum sit, ut omnis supplicatio, quæ heic in infirmitate perficitur, in sempiternum Halleluiah conuertatur, et ipsi electis angelis et hominibus vniuersis consociati coram solio Dei et Agni sine intermissione hoc ipsum decantare dignentur, Apoc. V, 13. VII, 15.

ARTICVLVS VICESIMVS

DE

ECCLESIA.

§. I.

Hactenus statu gratiæ, per Christum reparatæ, tam ratione diuinorum beneficiorum, quam mediorum salutis et necessarij ordinis ex parte hominum, considerato, reliquum est, ut gratiæ etiam participes spectemus, qui simul summi nomine ecclesiæ appellari solent; de qua proinde præcipua momenta in hoc articulo et ex scriptura sacra ad eiusque ductum in medium proferenda sunt.

T 2

§. II.

§. II.

Ecclesia a
quonam
originem
habet, et
cuius est?

Is, a quo, tamquam causa suprema seu principali, ecclesia originem habet, et cuius est propria, solus *Deus triunus* est, unde domus Dei, ecclesia Dei viuentis, 1 Tim. III, 15. templum Dei, 2 Thess. II, 4. agricultura Dei et ædificium Dei, 1 Cor. III, 9. Matth. XVI, 18. vinea, quam dextera Dei conseruit, Ps. LXXX, 9. 16. Ies. V, 1. 7. Matth. XX, 1. aliisque nominibus pluribus vocatur; sicut illi, qui ecclesiam constituunt, populus Dei, et filii Dei viuentis appellantur, Rom. IX, 26. quippe qui eos non creauit solum, sed etiam cælesti uocatione populum suum fecit, Ps. C, 3. siue per Spiritum suum, uerbi sui et baptismatis beneficio, ad hoc sanctificauit, ut ecclesia ipsius sint et nomenclentur. In quibus rebus omnibus diuinam sapientiam, omnipotentiam et misericordiam suam prodit et manifestat. Ita speciatim *Pater* homines ex tenebrarum potestate vindicare et in regnum sui carissimi Filii transferre dicitur, Col. I, 13. *Christus* autem *Iesus* suo sanguine ecclesiam comparauit, Act. XX, 28. Tit. II, 14. Apoc. V, 9. sanctam eam reddit, aquæ lotionem purgatam, diuinis uerbis, Eph. V, 26. 27. adest in ecclesia præsens ad eam tuendam et conseruandam, Apoc. I, 13. II, 1. Matth. XVIII, 20. XXVIII, 20. cum ea, tamquam spiritali sponsa, spiritali quadam et mystica ratione coniunctus et copulatus est, quam

quam et fouet, Eph. V, 29. vrpote quæ caro est de carne eius, et os de ossibus eius, com. 30. siue corpus eius mysticum, quod ille non tantum ceu caput sapienter regit, sed spiritu etiam et virtute sua animat, vid. infra §. VI. *Spiritus sanctus* in hoc tamquam opere suo proprio sese manifestat, quod, vti in expositione articuli tertii Symboli Apostolorum verba habent, totam ecclesiam in terra vocat, congregat, illuminat, sanctificat, et in Iesu Christo per veram atque vnicam fidem conseruat.

§. III.

Per *ecclesiam* autem non intelliguntur Quinam alii, quam qui per cælestem vocationem ex sunt pro-regno satanæ seu peccati liberati, et in ordine prie ec-clesia? veræ pœnitentiæ ac fidei ad communionem Christi et Spiritus ipsius perducti sunt: vti emphasis vocabuli *ἐκκλησία* declarat, quippe quod ex diuino sensu proprie *euocatum* (e regno scilicet satanæ) *cætum* significat. Hinc dicuntur (*γένος ἐκλεκτὸν*) genus electum, regale sacerdotium, sancta gens, populus adquisitus, virtutem prædicans eius, qui ipsum ex tenebris in suam lucem mirabilem vocauit. 1 Petr. II, 9. *LV THERVS* de Concil. et Ecclef. Tom. VII. Alt. fol. 283. b. „*Vocabulum KIRCH nobis Germanis obscurum sane et ignotum est, nec eum sensum dat, quem tertio Symboli Apostolici articulo sumi oportet.* -- *Christiani gens sunt peculiariter vocata,*

„nec simpliciter nominantur gens, siue ECCLE-
 „SIA, sed SANCTA, sed CATHOLICA eccle-
 „sia, quæ credit in Christum. Hinc appellatur
 „gens christiana sanctumque Spiritum habet,
 „qui eos quotidie sanctificat, non solum pecca-
 „torum condonatione, per Christum ipsis parta,
 „sed etiam abolitione, expurgatione, et morti-
 „ficatione peccatorum, unde populus sanctus
 „vocitantur. Itaque sancta ecclesia christiana
 „idem est ac populus, qui christianus et sanctus
 „est, siue, ut loqui amant, sancta christianitas.”

Quicumque ergo externe quidem ecclesiæ
 christianæ nomen dant, verbum Dei audi-
 unt, et sacramentis externe vtuntur, seu no-
 men Christi nominant, ab iniustitia autem
 non recedunt, nec e peccato et potestate sa-
 tanæ ad Deum se conuertunt, illi non sunt
 proprie ecclesia, aut illius sincera ac viuæ,
 sed mortua membra, Caino in domo Adami,
 Gen. IV, 3. 4. 7. Chamo in domo Noachi,
 IX, 22. 25. Ismaeli in domo Abrahami, XXI,
 9. Gal. IV, 29. 30. 31. Esauo in domo Isaa-
 ci, Gen. XXV, 32. XXVII, 41. Obad. com. I.
 9. 10. ceteris, consimiles. LUTHERVS in
 Io. I. Tom. VI. Alt. fol. 1218. b. fin. seq. „Du-
 „plicis generis Israelitæ sunt et Christiani. Is
 „verus Israelita est, qui promissionem et fidem
 „habet Abrahami, nec simulate, sed pure ac
 „simpliciter doctrinæ prophetarum credit, et
 „promissioni diuinæ innititur, sicut Nathanael
 „hæc facit, omnesque Christiani etiam nunc fa-
 „ciunt.

Anne
 omnes,
 qui eccle-
 siæ no-
 men ex-
 terne
 tanæ, vera
 eius
 membra?

„ciunt. Quando sunt baptizati, audiunt euan-
 „gelium, lectitant sacras scripturas, ad sacrum
 „eucharistie epulum accedunt, amant alterum :
 „hi nomine christiano recte utuntur, verique
 „sunt christiani. Deinde etiam dantur falsi
 „Christiani, qui quidem sacro baptismo et cœ-
 „na dominica utuntur, et de scripturis aque
 „ac veri Christiani sermonem instituere possunt,
 „et utrique verbum diuinum ante oculos posi-
 „tum habent. Enim vero illi externa tantum
 „specie et nomine Christiani sunt; neque enim
 „credunt, et intus dissidentia, inuidia et odio
 „referti sunt, adulteri, auari, malefici, omni-
 „busque flagitiis et sceleribus, quibus mundus
 „hodie coopertus est, contaminati, vitam agen-
 „tes sicuti Turci et Sarmatæ aliique populi mo-
 „ribus immanes. Quodsi ita Christianos alios
 „ab aliis secernere et diuidere voluerimus, quot,
 „quæso, Christianos inuentum iri existimas?
 „Mundus enim plane stultus et insipiens est,
 „indomitus atque effrenatus, et omnis generis
 „flagitiis, impudicitia, ebrietate, vlciscendi
 „libidine aliisque peccatis obrutus. Non am-
 „plius in vitiis ponitur, aut dedecoris aliquid
 „creditur habere, si alius alium decipiat; et
 „nihil tamen secius omnes boni Christiani vi-
 „deri volunt. At enim vero, mihi crede, ne-
 „minem præter te ipsum decipis, Deus non
 „decipitur nec eluditur.”

§. IV.

Ex diuersa conditione eorum, qui eccle- Ecclesia
 T 4 siæ quomodo

distingui-
tur?
Ecclesia
visibilis
quænam?

siæ membra sese esse profitentur, et externa
verbi ac sacramentorum communione fruun-
tur, oriunda est *distinctio ecclesiæ* in *visibilem*
et *inuisibilem*. Per ecclesiam *visibilem* intelli-
gitur vniuersus cætus eorum, qui doctrinam
Christi externe profitentur, et quæ adeo bo-
nos et malos, regenitos et irregenitos com-
plectitur, et proinde est *magna illa domus*,
in qua alia vasa ad res honestas, alia ad in-
honestas sunt, 2 Tim. II, 19. 20. *euerricu-
lum*, cuiusque modi res colligens, bonas et
malas, Matth. XIII, 47. 48. *fundus*, in quo
triticum et malæ herbæ simul apparent,
com. 26. *ouile*, in quo oues et hædi repe-
riuntur, Io. X, 1. 26. *vineæ*, in qua vix et
labruscæ succrescunt, Ies. V, 4. Mich. VII, 1. 4.
LVTHERVS in Io. XVI. Tom. VII. Alt. fol.
181. a. sqq. „Non omnes sancti, qui calcant
„limina templi, nec omnes ecclesia, qui nomen
„ecclesiæ crepant et gerunt. Sæpe enim magna
„differentia intercedit inter nomen et rem.
„Nomen ubique peruagatur, omnesque vocan-
„tur populus Dei, filii Abrahami, Christi mem-
„bra et discipuli, neque tamen ideo sunt. Sub
„ista enim appellatione multi delitescabant ne-
„bulones et homines nequam, qui verbo diuino
„parere volebant, sed contra repugnabant, et
„tamen sanctorum patriarcharum heredes et
„posteriores, sacerdotes et vates vocabantur. Ha-
„beant quidem legem et promissionem diui-
„nam, templum et sacerdotium, et populus
„Dei

„Dei esse debebant: Enim vero tantam idolatriam patrabant ista omnia iactantes, ut Deus necessum haberet declarare per Oseam, c. II, 10. templum et sacerdotium illud non fore amplius templum et sacerdotium suum, et populum illum non fore populum suum, sed, qui non sit populus, ei dicendum esse: Vos estis filii Dei viventis. Veteris testamenti temporibus visibilis ecclesia in solo populo Iudaico fuit, Pf. CXLVII, 19. 20. Ies. V, 1. Rom. IX, 4. et speciatim quidem vrbs Hierosolymorum locus erat, ubi Deum coli oportebat. Deut. XII, 5. 6. Io. IV, 20. In nouo autem testamento, alienigenis etiam ad rem publicam Israeliticam perductis et per sanguinem Iesu propinquis factis, per totum terrarum orbem diffusa est, vid. Eph. II, 12. 22. III, 5. 6. quo etiam parabola Christi spectant. Luc. XIV, 16. sqq. Matth. XXI, 33. sqq. Invisibilis est solus cætus electorum, sanctorum amatorumque Dei, quos mundus non nouit, adeoque odit et vexat; qui autem Domino noti sunt, qui ipsos amat et custodit, 1 Io. III, 1. 2 Cor. VI, 9. Sap. II, 12. 20. De hac invisibili ecclesia sola intelligendæ sunt omnes promissiones, quæ ecclesiæ Dei datæ sunt, in primis ea, quod orci portæ illam non sint superaturæ, Matth. XVI, 18. coll. Gen. XXII, 17. Pf. XLVI, 2. 6. LXXXVII, 1. Cant. VI, 9. Ies. XXXIII, 20. Io. X, 28. 29. Rom. VIII, 35. 39. 2 Cor. X, 4. 1 Io. V, 4. 5. Apoc. XII,

Quenam
in veteri
testamen-
to visibilis
ecclesia
fuit?

An in nouo etiam
testamen-
to certo
populo
adstricta
est?

Ecclesia
invisibilis
quænam?

Ecclesia
inuisibilis
quomodo
diuidi-
tur?

11. XX, 9. cui etiam proprietates, in articulo tertio Symboli Apostolici ecclesiae adsignatae, quod sit *sancta catholica ecclesia*, proprie competunt. Respectu huius vitae, ubi adhuc cum diabolo, Eph. VI, 10. sqq. 1 Petr. V, 8. 9. cum mundo, 1 Io. V, 4. Iac. IV, 4. et cum carne sua, Gal. V, 17. 1 Petr. II, 11. dimicare, et aduersa multa sufferre necesse habent, (vid. Part. II. Art. XVIII. de cruce,) *ecclesia militans*; respectu autem futurae et gloriosae vitae, in qua omni dimicationi et afflictioni prorsus erepti, confecto fidei certamine, coram Domino recreabuntur, qua de re septem promissiones Apoc. II. et III. descriptae in primis testantur, (vid. etiam cap. IV. et VII.) *ecclesia triumphans* dicitur. *LUTHERVS* Comment. in Gal. IV. edit. Germ. Tom. VI. Alt. fol. 799. a. (in edit. Latin. Tom. V. Witteb. fol. 394. b. haec paullo aliter et concisius leguntur.) „*Ecclesia triumphans extra hanc vitam in caelo est, quae numquam dimicat, sed iam omnia superauit et vicit. Ecclesia militans est, quae in terra adhuc arma aduersus hostes, hoc est, peccatum, mortem, diabolum, ceteros, ferre, cum eisque configere necesse habet.*„

§. V.

De notis
ecclesiae
quid nota-
ndum?

Ex descriptione eorum, qui proprie sunt ecclesiae, inter alia apparet, quod, quum *pura verbi praedicatio et legitima sacramentorum administratio* (quo etiam *legitimus clauum*

vium *usus* a *LVTHERO* hoc nomine memorari solitus, secundum Matth. XVIII, 15. 16. pertinet) *nota* veræ ecclesiæ esse dicuntur, hoc non ita intelligendum sit, ac si omnes et singuli, qui verbum Dei audiunt et sacramentis vtuntur, ideo pro sinceris ecclesiæ membris habendi sint, sed quod, sicubi verbum Dei pure docetur, et sacramenta vna cum clauibus cælorum secundum ordinem a Christo præscriptum administrantur, ex eo animaduerti possit, esse ibi vi promissionis diuinæ Ies. LV, 10. 11. Matth. XXVIII, 20. ecclesiam, filios Dei habentem et generantem. *LVTHERVS* de Concil. et Ecclesi. Tom. VII. Alt. fol. 286. a. „Primum christianus et sanctus populus ex eo dignoscitur, „si sanctum Dei verbum habeat. Tametsi dispar huius rei est ratio, quemadmodum Paulus testatur. Alii enim id omnino purum habent, alii minus purum. Qui illud purum habent, vocantur ii, qui aurum, argentum, gemmas iacto fundamento superstruunt: qui id impurum habent, vocantur illi, qui ligna, scænum, stipulas iacto fundamento superstruunt, et tamen euadunt ipsi, sic vt per ignem. Hoc caput est et summum sacrarium, vnde populus christianus appellatur sanctus. Verbum enim Dei sanctum est, et sanctificat, quidquid tangit, quid? quod ipsa Dei sanctitas est. Diuina potentia est, salutaris omni fidenti, cum Græco, tum Iudæo, Rom. I, 16. „Sancti-

„Sanctificantur omnia per verbum Dei et pre-
 „ces, 1 Tim. IV, 5.„ Et paullo post: „Vbi-
 „cumque igitur audis vel vides istud verbum
 „predicari, fidem ei haberi, fieri eius confes-
 „sionem, in ipsam praxin illud deduci, ne
 „dubita, quin sit ibi vera, sancta, catho-
 „lica et christiana ecclesia, etiamsi sint per-
 „pauci. Verbum enim Dei non redit infecta
 „re, Ies. LV, 11. sed aliquam saltem partem
 „agri habeat, oportet.„ It. fol. 287. a.
 „Postea populus Dei vel sancti Christiani co-
 „gnoscuntur e clauibus, quibus publice vtun-
 „tur, hoc est, quemadmodum Christus Matth.
 „XVIII, 15. 16. precipit, si quis Christianus
 „peccauerit, eum reprehendendum, et, si se
 „non emendauerit, ligandum et ecclesia eii-
 „ciendum, si vero se correxerit, absolvendum
 „esse. Haec sunt clauis. Iam vero usus cla-
 „uium duplex est, publicus et priuatus.
 „Sunt enim alii tam pauida et fracta con-
 „scientia, ut, quamuis non sint publice da-
 „mnati, tamen consolari ipsi se non possint, nisi
 „priuatim a parocho absoluantur. Alii vero
 „tam duri sunt, ut nec ex animo et coram pa-
 „rocho priuatim condonare, nec a peccando
 „desistere velint. Quocirca usus clauium omni-
 „fariam vigere debet, publice et priuatim.
 „Quodsi igitur peccata aliis remitti, in aliis
 „reprehendi vides, siue publice id fiat, siue pri-
 „uatim, ibi populum Dei esse scito. Vbi enim
 „non est populus Dei, ibi nec clauis sunt: et
 „ubi

„ubi non sunt claves, ibi nec populus Dei est.
 „Christus enim eas ideo in terra reliquit, ut
 „essent publicum signum et sanctuarium, quo
 „Spiritus sanctus (morte Christi adquisitus)
 „lapsos peccatores rursus sanctificaret, et Chri-
 „stiani ostenderent esse se populum sanctum sub
 „Christo in hoc mundo: et ut illi, qui ad fru-
 „gem redire et sanctificari nolunt, a sancto isto
 „populo exturbarentur, hoc est, ligarentur et
 „per clauem excluderentur. „ Quod ad no- ^{Quanam}
 tas uniuscuiusque sinceri membri ecclesie chri- ^{notæ uni-}
 stianæ in specie attinet, eadem illæ sunt, e ^{uscuius-}
 quibus quilibet verus ac sincerus Christia- ^{que veri}
 nus cognoscitur et diiudicatur, (vid. su- ^{membri}
 pra Part. II. Artic. VI. §. VII. de notis ^{ecclesie in}
 et ^{specie?} regenerationis,) quarum
 præcipuæ sunt (1) abscessio ab iniustitia, 2
 Tim. II, 19. (2) obedientia erga præcepta
 Dei, Io. VIII, 31. 34. inprimis (3) abne-
 gatio sui ipsius et mundi, Luc. IX, 23. XIV,
 26. (4) imitatio Christi, Io. X, 27. (5) mu-
 tua inter ipsos caritas, Io. XIII, 34. 35. (6)
 studium pacis, I Cor. XI, 16. et (7) crux,
 siue odium mundi, Io. XV, 19. **LVTHE-**
RVS de Concil. et Eccles. Tom. VII. Alt. fol.
 291. b. „Sanctus Christianorum populus ex-
 „terne e sanctæ crucis sanctuario cognoscitur,
 „quod eum oportet quamvis calamitatem et ve-
 „xationem, omnis generis tentationes et mala
 „(uti oratio dominica docet) a diabolo, mundo
 „et carne; intrinsecus tristitiam, timorem,
 „terro-

„terrorem; extrinsecus paupertatem, contem-
 „tum, morbum, infirmitatem sufferre, ut Chri-
 „sto, capiti suo, conformis reddatur. Et hæc
 „etiam una sola causa sit, necesse est, quod Chri-
 „sto et verbo Dei firmiter adhereat, adeoque
 „propter Christum patiat, Matth. V, 10.
 „Beati, qui iustitiæ causa infestantur. Opor-
 „tet eos esse pios, pacatos, obediētes, vitam-
 „que et bona sua magistratui et unicuique de-
 „vouere, ledere autem neminem. Nec sit,
 „oportet, ullus populus in orbe terrarum, qui
 „tam acerbum odium incurrat, quam quidem
 „Christiani. Peiores habendi sunt, quam Iu-
 „dæi, Pagani, Turci. Ad summam, hæretici,
 „nebulones, diaboli, execrabilēs et nocentissimi
 „hominum, quos terra alat, appellandi, adeo,
 „ut illi etiam Deo cultum se præstare putent,
 „a quibus suspenduntur, in aquis suffocantur,
 „occiduntur, adfliguntur, exturbantur, ve-
 „xantur; nec sit, qui eorum misereatur, sed
 „myrrha ac fel potandum eis detur sitienti-
 „bus: neque id idcirco, quod sint adulteri, ho-
 „micide, fures et veteratores, sed, quia so-
 „lum Christum nec alium Deum habere cu-
 „piant. Hæc ubi videris vel audiueris fieri,
 „ibi noris sanctam et christianam esse eccle-
 „siam. Vid. etiam Part. II. Artic. XVIII.
 de cruce.

§. VI.

Quamquam Quum ecclesia sit corpus Christi, ideo
 in com- membra eius spirituales habent commu-
 nio.

nionem cum ipso Christo, et mutuam inter
 fe, 1 Io. I, 3. Beneficio communionis cum
 Christo, cum quo per fidem uniti sunt, ab
 ipso, tamquam capite suo et caelesti Aarone,
 pretiosum unguentum, Ps. CXXXIII, 2. siue
 vunctionem Spiritus eius, 1 Io. II, 20. 27.
 illiusque varia dona tam administrantia
 quam sanctificantia, 1 Cor. XII, 5. sq. Rom.
 XII, 3. sq. Eph. IV, 8. accipiunt, ita ut sit
 Christo in
 quo sita?

τὸ πλήρωμα τῆ πάντων ἐν πᾶσι πληρωμένε,
 complementum omnia complementis in omni-
 bus, Eph. I, 23. III, 19. Col. II, 10. LV-
 THERVS de Papa Romano, Tom. I. Alt.
 fol. 459. a. „Uniuscuiusque capitis corpo-
 „rati natura est, in membra sua vitam omnem,
 „sensus et opera infundere, quod etiam in ca-
 „pitibus politicis ita se habet. Princeps enim
 „alicuius regionis in potestate sua subiectos
 „omnia infundit, quæ in animo et voluntate
 „sua agit, facitque, ut omnes ciues similem
 „sui animum et voluntatem indispiscantur, fa-
 „ciantque opus, quod ipse vult. Quod opus
 „proinde vere dicitur ex principe fluxisse in
 „eos, qui ei parent: nam sine eo hoc non fe-
 „cissent. Iam vero nemo mortalium vel alte-
 „rius vel suo ipsius animo fidem, mentem, vo-
 „luntatem et opera Christi instillare potest, nisi
 „ipse Christus. Neque enim ullus papa vel
 „episcopus efficere potest, ut fides, vel quid-
 „quam vere christianum in cuiuspiam hominis
 „animo oriatur. Sed enim hominem christia-

num

„num oportet eandem habere mentem, ani-
 „mum et voluntatem, quam in celo habet Chri-
 „stus, uti Paulus I Cor. II, 16. docet. Fit
 „itaque, ut christianum membrum fidem ha-
 „beat, quam tamen nec papa habet, nec episco-
 „pus; quo pacto igitur eius esset caput? Quod-
 „si sibi ipsi vitam spiritualis ecclesie dare ne-
 „quit, quomodo in alterum eam infundere
 „poterit? Quis ullum umquam animal viuum
 „vidit, cuius caput fuerit mortuum? Caput
 „vitam infundat, necesse est. Vnde manife-
 „sto liquet, non esse in terra caput spiritualis
 „Christianitatis præter solum Christum.,, Com-
 „munio membrorum ecclesie mutua, alias com-
 „munio sanctorum vocitata, in hoc consistit,
 quod tamquam vnus corporis membra sin-
 cera et ardentis caritatis vinculo ita in Chri-
 sto inter se nexi sunt et copulati, ut omnia
 spiritualia et cælestia dona ac bona, Eph.
 IV, 4-6. nec non gaudia et afflictiones
 communes inter se habeant, I Cor. XII, 26.
 alii etiam cum aliis et pro aliis ardentem
 orent, Matth. XVIII, 20. Eph. VI, 18. Vnde
 mutua illa membrorum opitulatio efficitur,
 per quam totum corpus diuino crescit aug-
 mento. Eph. IV, 16. Col. II, 19. Rom. I,
 11. 12. Longe omnium clarissime luxit
 hæc sanctorum communio in prisca eccle-
 sia apostolica, Act. I, 14. II, 44-47. IV, 32.
 Ceterum ecclesie Dei in terra cum trium-
 phante in celo communio est sub vniuer-
 sali

Quam
 commu-
 nionem
 inter se
 mutuam
 habent?

fali capite Christo Iesu, vti inter alia docetur Gal. IV, 26. Ephes. I, 10. Hebr. XII, 22. 23.

§. VII.

Finis, propter quem Deus in terra sibi ecclesiam colligit et conseruat, in eo positus est, vt corpus Christi eiusque membra in se ædificentur, et aliquando ad plenam diuinæ gloriæ fruitionem in ecclesia triumphante perducantur, Eph. IV, 12. 16. V, 27. I Cor. XII, 4. sq. in his autem omnibus varia sapientia et ineffabilis amor ac fidelitas Dei in ecclesiam suam, et hoc tempore et per omnia sæcula, agnoscatur, prædicetur ac concelebretrur. Eph. I, 11. 12. III, 10. Apoc. V, 9. 10.

§. VIII.

Officium nostrum secundum hanc doctrinam est, (1) cauere, ne mere externa ecclesie communionem, quod in ea nati simus et educati, externisque salutis mediis vtamur, temere confidamus, quippe propter quam per se nemo beatus habendus est; Matth. III, 9. Io. VIII, 33. 39. Rom. II, 28. 29. IX, 6. 7. 8. I Cor. X, 1-5. (2) contra ea permittere, vt noua natura, siue viuæ fides et ardens ac sincerus amor, vinculum illud internæ communionis cum Christo capite, et omnibus spiritualibus corporis ipsius membris, per Spiritum sanctum in nobis efficiatur, vtpote quod ad hanc rem, vt quis verum

rum ecclesiæ christianæ membrum sit, absolute necessarium est; Gal. V, 6. VI, 15. 2 Cor. V, 17. (3) ex hoc fundamento Christum, caput nostrum concelebrandum omni-que plenitudine donorum Spiritus vñctum, firmiter tenere, Eph. IV, 15. Col. II, 19. et ex plenitudine eius gratiam pro gratia accipere, Io. I, 16. in ipso crescere diuino augmento, nec minus aliorum, qui pariter ac nos corporis Christi membra sunt, ædificationi et emendationi inferuire; Eph. IV, 15. 16. (4) vi mutæ communionis, prout quisque aliquo munere dotatus est, ita in confortes in spiritali corpore Christi dispensare, vt totum corpus incrementum capiat ad semet exstruendum caritate, Eph. IV, 16. Rom. XII, 3. sq. 1 Cor. XII, 5. sq. 1 Petr. IV, 10. (5) spiritus vnitatem pacis vinculo studiose tueri, Eph. IV, 3. Phil. II, 2. adeoque idem omnes loqui, 1 Cor. I, 10. Christum in seruis suis non diuellere, com. 12. 13. aliis non inuidere, nec eos iudicare, vel despiceret, Rom. XIV, 10. 13. 1 Cor. XII, 15. sqq. conscientias infirmorum fide non turbare, Rom. XIV, 1. nihil agere per diffidentiam aut ostentationem, Phil. II, 3. non deferere sanctorum consociationem, Hebr. X, 25. imbecillos cum animi comitate reficere, Gal. VI, 1. alios aliis obedire cum Dei metu, Eph. V, 21. 1 Cor. XIV, 32. 34. de fratrum bono gaudere, eorumque perpeffiones participare,

re, 1 Cor. XII, 26. alios cum aliis et pro aliis precari, Eph. VI, 18. Iac. V, 16. tandem ex animo inuicem condonare, si quis habet, quod de alio expostulet, Matth. XVIII, 22. Eph. IV, 32. Col. III, 13. et, quidquid præterea ad efficiendam et conseruandam vnitatem spiritus spectat, curare; (6) ad variam Dei sapientiam in gubernanda ecclesia sua, ad omnipotentem ipsius virtutem in ea ipsa aduersus tot hostes tuenda et conseruanda, et ad iudicia illius, quæ in hostes ecclesiæ exercet, animum diligenter attendere, vt hinc fidem nostram confirmemus, et ad laudandum ac concelebrandum Deum nos excitemus; Rom. XI, 33, 36. Apoc. XV, 3. 4. denique (7) Deum suppliciter precari et implorare, vt ecclesiam suam in terra longius latiusque diffundat et explicet, dataque ei promissa vniuersa faciat vt appareant. Psalm. LXXX, 9. sqq. CII, 14. sqq.

§. IX.

Solatium verorum ecclesiæ membrorum *Solatium*
in eo consistit: (1) Quod ipsis propter spi- verorum
ritualem, quam cum Christo capite ecclesiæ ecclesiæ
habent, communionem, nec diuina ad vitam membro-
et pietatem pertinens vis, nec necessaria con- rum
solatio et recreatio in huius æui perpeffio- quod-
nibus deesse possit; vid. §. VI. (2) Quod nam?
vnumquodque membrum, vi mutue com-
munionis, bona et dotes vniuersi corporis
omnemque inde ad illustrationem nominis

V 2

Chri.

Christi existentem *fructum* participet, et ex ceterorum membrorum omnium interpellatione emolumentum sperare et expectare possit; 1 Cor. III, 21. 22. vid. §. VI. (3) Quod, licet in hoc mundo inter homines malos et falsos fratres, qui ipsos non cognoscunt, vivant, ab eisque premantur et diuexentur, Deus tamen illos amet et populum suum agnoscat; quem quoque intermisti illis sic, ut ipsi placet, possint colere, 2 Tim. II, 19. 20. 2 Cor. VI, 9. Phil. II, 15. qui etiam ex ecclesiae suae agro malas herbas aliquando euulsurus areamque suam expurgaturus est; Matth. III, 12. 13. XIII, 30. 41. (4) Quod ecclesia Christi super ipso Christo, spiritali illa petra et lapide angulari, constructa sit, nec orci portae eam superare possint; Eph. II, 20. 21. Matth. XVI, 18. vid. §. IV. (5) Quod Christus aduentu regnoque suo omnes illius hostes, diabolum et antichristum una cum vniuersa eius cohorte, iudicaturus sit atque deleturus; 2 Tim. IV, 1. 2 Thess. I, 8. 9. Apoc. XVIII, 2. XIX, 11. 21. XX, 1. 3. seq. (6) Quod tandem in splendore suo et pulchritudine, adhuc quidem latente, patefacienda, et *ἐνδοξος καὶ αἰμόμος*, gloriosa et sine macula et ruga, in diuinæ gloriæ conspectu sistenda; Col. III, 4. Cantic. VI, 9. Eph. V, 27. et (7) inter angelorum legiones (*ἐν πανηγύρεϊ καὶ ἐκκλησίᾳ*) in conuentu vniuersali cœruque primogenitorum, in cælis con-

con-